



Catalogus Patrum Societatis Jesu

Couplet, Philippe

1686

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)



PRÆFATIO.

HABES, Amice Lector, Catalogum centum quinque Patrum è Societate Jesu qui per tredecim Imperii Sinensis Provincias fidem Christianam qua voce, qua scriptis libris propagarunt. Non annuero eos qui supra centum ex Europâ in Sinas profecti, in viâ seu terrestri seu præcipuè maritimâ, seu etiam in ipso Sinarum portu, ad ultimum desideriorum portum (Deo ipsorum vota remunerante) prius peruennerunt, quam Sinam videre licuerit: in hoc saltem ipsi pares Xaverio, qui Sinarum desiderio immortalis est.

Quod spectat domicilia Societatis ibidem pietate & munificentia principum Europæorum aliorumque fundata & stabilita; præter minores aliquot domos & Residentias, numerat Societas tria Collegia inchoata, Domum item probationis, & viginti-quatuor Residentias formatas, easque authenticis tabulis & præsectorum sigillis munitas: Tempia vero Deo dicata circiter ducenta, partim in urbibus, partim in vicis: quibus non adnumero Oratoria, Sacella, & Missiones.

Ad libros vero Sinicè editos quod attinet, qui non per quindecim duntaxat Provincias vulgantur, sed & in Tartariam, Coream, Japoniam, Tunkinum, Cochinchinam penetrant, & quorum pars non exigua jam etiam favore Innocenti XI. in Vaticanâ Bibliothecâ locum obtinet; ii quidem quod materias sacras & diversi gene-

ris opera, numerantur omnino 126. Mathematici autem
& Morales & Philosophici 89. volumina vero Sinica
universim 486.

Hic porro Catalogus Sinicè primùm editus anno 1647.
sub nomine duorum magni nominis litteratorum Han
& Cham, succedentibus deinde annis & novis fidei
praconibus auctus & saepius recusatus, unius demum saeculi
decursu circumscriptus est. Praemissa introductio de signis
vera religionis; ubi post miraculorum, Martyrum, Con-
fessorum &c testimonia, affertur etiam testimonium ex
iis petitum qui per tot pericula & vitæ discrimina gratis
veniunt ex altero orbe annunciatum Christi legem: qui-
que vitæ exemplo, & ea scientiarum soliditate, quæ in
tot libris editis continentur, probandæ & confirmandæ
veritati divinae legis pondus non exiguum Sinis afferunt.

Adjecit locus sepulturae singulorum sociorum seu
Evangelii praconum: ut si fortè (quod Deus avertat)
tempestate aliqua contingat omnes externos è Sinis aman-
dari, pretextû pietatis erga fratres nostros & affines de-
mortuos liceat aliquando reditum obtinere, apud gentem
in hoc pietatis genus semper propensam.

Multa quoque studio præterita sunt in Sinensi editione
(quæ in ista adjecimus) eo quod genti adeo politicae &
suspici adversus externos, cautè & circumspectè scriben-
dum. Unde ea ferè illic adducta, quæ ad Fidei & ejus
praconum commendationem apud ethnicos conducerent,
ut sunt regii favores nostris impensi, quos ad Dei glo-
riam referre Christiana pietas docet. Vale & pro no-
vella hac vinea proque operariis Dominum precare.